J. Hialtalinus:

Diss. inaug.
de
Radesyge, Lepra et Eleph.
septentrionali.

Amico doctissimo et dilectissimo J. Sivertsen offert auctor

De

Radesyge, Lepra

et

Elephantiasi septentrionali.



Dissertatio inauguralis

de

Radesyge, Lepra

et

Elephantiasi septentrionali

quam

consensu et auctoritate

gratiosissimi medicorum ordinis

in academia Christiana-Albertina

pro summis in medicina et chirurgia honoribus rite impetrandis

eruditorum examini submittit

auctor

Johnas Johnae Hialtalinus,

Islandus.

Kiliae.

Ex officina C. F. Mohr.

1839.

Est leprae species, elephantiasisque vocatur,
Quae cunctis morbis major sic esse videtur
Ut major cunctis elephas animantibus exstat.

Macer de Herbar. virtute.

Imprimatur.

G. H. Ritter,
h. t. Dec.

Fautoribus patriae

viris illustrissimis

Dr. *Paulo Gaimardo*,

Praesidenti commissionis scientificae gallicae in Islandia et Scandinavia, equiti ordinis danebrogici etc. etc.

et

Dr. *Gustavo Biedermanno Günthero*,

Professori chirurg. et anatom. in Academia Christiana-Albertina, et Directori Nosocomii Regii Fredericiani Kiliensis

hoc opusculum

sacrum esse voluit

Auctor.

Priusquam morborum propositorum descriptionem aggrediar, historiam eorum, quatenus e scriptis medicorum apparet, paucis verbis tractabo.

Medicinae pater Hippocrates (c. 400 a. Chr.) pauca de lepra et Elephantiasi nobis reliquit; quamvis enim hos morbos non omnino praeterierit, descriptio eorum apud eum brevissima est et parum distincta; nam de his morbis talibus utitur verbis: „ Impetigines et Leprae „ albicantesque Vitiligines, si juvenibus quidem aut pueris „ horum aliquid contingat, aut sensim se prodens, diu- „ turnitate temporis augetur; in iis quidem eae pustulae „ abscessus esse minime existimandae sunt, sed morbi.“ [1])

Cornelius Celsus (Tiberii temporibus) Elephantiasin paucis verbis pulcherrime descripsit. Haec sunt verba ejus: „ Ignotus autem pene in Italia frequentissimus in „ quibusdam regionibus is morbus est, quem Ἐλεφαντιασιν „ Graeci vocant isque longis annumeratur. Quo totum „ corpus afficitur ita, ut ossa quoque vitiari dicantur. „ Summa pars corporis crebras maculas crebrosque tùmores „ habet. Rubor eorum paullatim in atrùm colorem con- „ vertitur. Summa cutis inaequaliter crassa, tenuis, dura,

---

[1]) Hippocratis opera omnia edit. curavit Kühn, Lipsiae, 1827, T. I, p. 232.

„ mollisque quasi squamis quibusdam exasperatur; corpus „ emacrescit, os, surae, pedes intumescunt. Ubi vetus „ morbus est, digiti in manibus pedibusque sub tumore „ conduntur; febricula oritur, quae facile tot malis obru- „ tum hominem consumit.“ [2])

Aretaeus Cappadox (exeunte seculo primo p. Chr.) Elephantiasin litteris quoque mandavit dicitque inter alia de hoc morbo: „Elephanti morbo multa cum bellua „ elephante sunt communia, quoad speciem et colorem „ et magnitudinem et vitae rationem, neque vero alii „ cuiquis similis est, vel effectus affectui vel animali „ animal. — Affectum hunc aliqui leonem appellant ob „ malarum ruborem et effrenum atque impudentem coitus „ libidinem. Alii morbum Herculeum nominant, quoniam „ illo nullus maior est aut valentior. Vis itaque mali „ magna est aliisque omnibus affectibus ad inferendam „ mortem longe efficacior; id etiam visu foedum est, et „ sicut Elephas bellua prorsus terribilis. — Supercilia „ crassa glabra, deorsum gravata prominent et contractis „ horum intervallis intumescunt, color eorum lividus aut „ niger: ipsa vehementer adducuntur oculosque contegunt, „ ut in iratis fit aut leonibus; itaque morbus leoninus „ dicitur.“ [3])

Galenùs quoque (seculo p. Chr. II.) de tumoribus praeter naturam scribens, ita verba facit: „Elephas quo- „ que melancholicus affectus est ex sanguine melancholico „ primam ducens originem; tempore vero bilis atra san- „ guine copiosior redditur, ac tum tali morbo obnoxii

---

[2]) Corn. Cels. de medic. Lib. III, cap. XXXV.

[3]) Aret. Cappadocis oper., ed. curav. Dr. C. G. Kühn, Lipsiae, 1828, p. 128.

„ graviter olent et adspectu sunt molesti; quibusdam „ ipsorum ulcera quoque accedunt. Hoc malum, dum „ incipit satyriasmum vocant, quia satyris similes facie „ redduntur. Nonnulli osseas in temporibus eminentias „ sic nominant; fiunt quoque in ceteris partibus tales „ ossium eminentiae, quas nonnulli „exostoses,“ vocitant, „ quemadmodum et pudendorum tensiones praeter natu„ ram remittentes, quidam *Satyriasmum* quidam *Priapis*„ *mum* appellant.“ [4])

Patet ex his scriptis Elephantiasin diu cognitam esse et fere iis symptomatibus stipatam fuisse, quibus nunc stipatur, quod serius de symptomatologia clare elucebit. Dicitur Elephantiasis in Aegypto et in India orientali ab antiquissimis temporibus endemica, imperante Pompeio in Italiam ac reliquam Europam irruisse (Plinii hist. nat.) ac dein per Saracenorum incursiones et bella sacra divulgata, et in Europam devecta esse.

Ut refert Gretserus, Lepra apud Longobardos endemica fuit et ab his in Italiam delata esse videtur, nam apud hunc auctorem invenimus exemplar epistolae Stephani Papae ad dominum Carolum regem, prohibendo atque obligando, ut de gente Longobardorum uxores minime acciperent; in qua epistola post plura argumenta tandem monet Papa „de Longobardorum natione et leprosum genus oriri certum est.“ (Vide Jacobi Gretseri opera, T. VI, p. 734 a.) Anno DCXX p. Chr. n. lex lata fuit a rege Longobardorum Rhotario, in qua leprosos civiliter mortuos declarat, atque vetat, ne mendicantes leprosi aliis accedant,

---

[4]) C. Galeni oper. ed. curavit Kühn, Lipsiae, 1834. Vol. III, pag. 727.

ſubetque, ut signum sui per sonitum concussi ligni edant. (Muratori antiquitates Ital. med. aevi, T. II, Diss. 16.) Apparet igitur (ut dicit Frank) eam opinionem „lepram per sacra bella in Europam introductam fuisse,“ erroream esse: Ferunt quoque auctores, hunc morbum usque ad sec. XV in christianitate frequentissimum fuisse, unde factum est, ut fere per totam Europam Nosocomia ad hos aegrotos excipiendos aedificarentur. Tamen Greg. Horstius [5]) qui ad haec Nosocomia visitanda electus fuit, memorat, plurimos in his Nosocomiis aliis morbis laborasse, et dicit se perpaucos cum vera Elephantiasi invenisse. Eandem sententiam profert clarissimus Forestus [6]) et Reidlin: „Sicuti vero non nisi rarissime inveniuntur, quibus leprosi nomen merito et re vera attribui potest, uti quidem leprosi a plerisque auctoribus describuntur: sed plerumque hisce domibus illi includuntur, qui scabie sicca, foeda et diu jam instante laborant.“

Ex omnibus scriptis quae legimus, patet eadem confusio, quam et medici et historici in confundenda Elephantiasi et lepra cum aliis morbis cutaneis, et praesertim cum psoriasi et scabie sicca, fecerunt. Magnos errores provocavit haec confusio, qui in curando et tollendo morbo obstaculo erant.

Auctores medii aevi ad confusionem istam tollendam parum fecere: nam sicut in ceteris morbis cutaneis distinguendis haud multum exercitati erant, sic etiam diagnosis eorum de lepra et Elephantiasi aliquantum obscura esse videtur.

---

[5]) Horstii obs. medic. lib. VII, obs. XVIII.

[6]) D. C. Reidlin Lin. medic. Vol. III, Anno 1697, mense Maio.

Seculo decimo octavo, nec non instante seculo plurimi praeclari auctores de Lepra et Elephantiasi scripsere, inter quos imprimis nùmerari mereutur: Raimond,[7] G. G. Schillingius,[8] Mechel,[9] Ph. G. Heusler,[10] J. Frank,[11] C. Sprengel,[12] Rob. Willan,[13] Batemann,[14] Callisen,[15] Biett,[16] Alibert,[17] Ruett,[18] Robinson,[19] Holland,[20] Hunefeld,[21] Haase[22]. Inter hos scriptores, lepram arcticam et Elephantiasin, de quibus nunc praesertim sermo nobis erit, excepto forsitan Alibert, optime descripsit Arbo; nam ut in cognoscendis et curandis his morbis,

---

7) Hist. de l'Eléphantiasis, 1767.

8) G. G. Schill. de lepra commentationes, Lugd. B. 1788.

9) Dissertatio de lepra squamosa. Halae, 1795.

10) *Von der Radesyge. Altona,* 1797. (Hoc opere continentur duae dissertationes, de Arbo et Mangor, quorum prior nostra quidem sententia longe praestantior est.)

11) Praxeos medic. univers. praecepta. P. I, Vol. II.

12) Institutiones medic. Tom. IV.

13) *Die Hautkrankheiten und ihre Behandlung, von Rob. Willan. Aus dem Engl. übersetzt von G. Friese. 4 Bände. Breslau,* 1799 — 1817.

14) *Praktische Darstellung der Hautkrankheiten nach dem Systeme des Dr. Willan von Th. Batemann, übersetzt von Lud. Calmann. Leipzig,* 1835.

15) Systema chirurgiae hodiernae. Hav. 1815.

16) *Biett, übers. von Cazenave og Schedel. Weimar,* 1829.

17) Clinique de l'hôpital Saint-Louis, par M. le baron Alibert. A Paris, MDCCCXXXIV.

18) Essai sur l'éléphantiasis. Paris, 1808.

19) Vide Batemann, l. c. pag. 357.

20) Diss. de morbis Islandiae. Edinburgi, 1811.

21) *Die Radesyge. Leipzig,* 1828.

22) Dr. *W. A. Haase chronische Krankheiten. Dritter Band, zweite Abtheilung, S.* 346. *Wien,* 1820.

maxime exercitatus erat, sic etiam descriptionem eorum magis quam alii, non ex litteris sed ex ipsa natura sumebat. Noster autem Callisoinus, cuius immortale opus laudibus meis non caret, Lepram et Elephantiasin minus feliciter tractavit, et miramur, talem virum, qui plurima tam accurate scripsit, dicere: Elephantiasin in Europa rarissimam esse.

Redeamus nunc ad historiam morborum, de quibus sermo est, uti in Islandia occurrunt. Origo illorum in hac regione nobis fere obscura est, tantum modo scimus, quod per multa secula ibi grassati sint. Pou'sen [23] et Olafsen, credunt illos cum primis incolis Islandiae e Norvegia in hanc regionem advectos esse; sed cum primis seculis postquam haec insula culta fuit, nil de his morbis in libris Islandorum inveniamus, putamus hos morbos aliquanto serius, sc. post duo secula in patria nostra primum apparuisse. Postquam religio christiana in Islandiam introducta fuit, primum nostra opinione Elephantiasis et lepra in hac regione cognitae sunt, et putamus hos morbos e Palaestina cum peregrinatoribus religiosis (Pilagrimar), e quibus non pauci Palaestinam proficiscebantur, in Islandiam delatos esse, ubi per quatuor aut quinque secula cum magna clade incolorum grassabantur.

Anno MDCCVII febris variolosa gravissima, multa millia hominùm in Islandia consumsit, et fertur haec epidemia variolosa plurimos Elephantiasi et lepra laborantes interfecisse, unde factum est, ut hi morbi nonnihil

---

23) *Vice-Laumand Eggert Olaffsens og Landphysici Bjarne Poulsens Reise igjennem Island.* **1ste Deel. P. 323 et 449 etc.**

rariores fierent. Aliquando antea, quam hoc eveniebat, scilicet anno MDCLII, mandato Regis factum est, ut quatuor nosocomia ad leprosos excipiendos in Islandia aedificarentur. Horum unum, quod forsitan plurimos aegrotos habet, jacet in occidentali parte Islandiae in villa „Hallbiarnareyri." Alterum nosocomium invenitur in australi insulae parte in villa „Kaldadarnes;" tertium in parte orientali situm vocatur „Hörgslandshospital" (nosocomium hörgslandianum) et denique quartum in septentrionali parte situm est, in villa „Mödrufell." Praeter aegrotos, qui in his nosocomiis inveniuntur, et quorum numerus parvus est, multi sunt, qui in nosocomia nunquam veniant et domi a medicis tractentur.

DESCRIPTIO MORBORUM.

(Vulgo: *Holdsveiki, Limafalls-syki, Likthrá.*)

Redeamus nunc ad descriptionem morborum propositorum, uti se in patria nostra et Norvegia ostendunt.

Primum memoratu dignum est, morbum, qui Islandice vulgo dicitur „Holdsveiki," „Likthra," „Limafalls-syki," danice „Spedalskhed," „Radesyge," auctoribus „Lepra artica," s. „septentrionalis," minime unum morbum esse, sed potius duas aut tres diatheses morbosas, quarum nonnullae, non solum in Islandia et Norvegia, verum etiam in multis aliis locis Europae, Africae, Asiae et Indiae quamvis sparsim, occurrunt.

Morbum igitur, qui auctoribus dicitur „Lepra arctica" vel septentrionalis, in tres morbos dividemus, qui nunc primum generaliter pertractandi sunt.

Primus horum morborum, qui ubique in Norvegia et Islandia frequentissimus est, et qui a multis auctoribus

(Callisen, Mangor) pro primo stadio Leprae habebatur, est *Lepra psorica Hensleri,* vulgo „Radesyge.“ Hunc morbum forsitan rectius nominare possumus *lepram ulcerosam,* v. *morbum ulcerosum arcticum,* cum ab ulceribus plerumque incipiat.

Alter morbus, qui islandice plerumque „Limafallssyki“ dicitur, est *Lepra squamosa* secundum Frank, *Lepra septentrionalis* secundum Callisen, *Lepra indica,* v. *mortificans.*

Hic morbus priori aliquanto rarior est et complicatur interdum cum *Elephantiasi* sive, ut a nonnullis dicitur, *Lepra nodosa.*

Tertium denique morbi genus est *Lepra nodosa* sive rectius Elephantiasis (Elephantiasis tuberculeux secundum Alibert) quae a nonnullis auctoribus *L. Arabum* nominatur. Hic morbus in Islandia haud raro occurrit et saepe cum *Lepra squamosa* et *Radesyge,* nec non scorbuto complicatur.

Ut jam facilius pateat horum morborum Therapia specialis, speciatim eos pertractabimus.

I.

RADESYGE.

Synon.: Morbus ulcerosus arcticus, Lepra psorica *Hensleri,* Radesyge vulgaris *Alibert,* Radesyge.

Symptomata. Incipit hic morbus plerumque sine prodromis cum ulceribus, initio parvis et maculis rubroatris aut caeruleis, circumdatis. Interdum originem trahunt haec ulcera a tuberculis parvis sub cute sitis, quae postquam per aliquod tempus duravere, in suppurationem

abeunt: interdum vero nascuntur ulcera ex maculis lividis, aut rubro-atris, aut cuprei coloris. Primum inveniuntur ulcera leprosa in pedibus, maximeque ad partem anteriorem tibiae et circa malleolos, occurrunt etiam in extremitatibus superioribus, unde ad truncum et nates demigrant, et quamvis interdum in omnibus fere corporis partibus inveniantur, maxime tamen amant extremitates superiores et inferiores, nec non lumbos et nates.

Quod ad characterem horum ulcerum pertinet, dicere possumus, ea cum ulceribus scorbuticis magnam habere similitudinem; rotundae plerumque eorum figurae sunt, et si diu dùraverint, profunda fiunt; fundus eorum fuscus aut caeruleus semper impurus est, sanie sanguinolenta vel interdum quasi aquosa repletus. Pus bonae indolis fere nunquam nisi interdum sub consolidatione fundunt. Saepe teguntur crusta atra, aut atro-rubra, qua sublata sanies pùrulenta sanguinolenta apparet. Interdum tam profunda fiunt, ut ossa subjacentia carie afficiant; saepius tamen in latitudinem se extendunt, et diametrum habent duorum aut trium pollicum. Margines eorum interdum callosae, interdum inaequales et papillulis rubris obsessae sunt, quae si paululum incautius tractentur sanguinem profundunt.

Ambitus horum ulcerum semper aliquantum tumet et colorem habet cupreum vel atro-rubrum vel lividum, qui color etiam post consolidationem eorum in cicatrice diu remanet.

Nonnunquam haec ulcera, quod rarissime tamen in Islandia fit, nares interiores et fauces primum invadunt. Incipit tunc hoc malum a catarrho faucium et narium, qui cum per aliquod tempus duraverit provocat tumorem membranae mucosae; apparent tunc primum in naribus

aut palato molli, maculae lividae aut cuprei coloris, quae post breve tempus in ulcera abeunt, unde sanies purulenta et sanguinolenta e naribus profluit, quae quamvis plerumque inodora sit, interdum tamen male olet. Haec narium ulcera interdum diu perseverare possunt, sed tamen adhibita medela cito consolidantur, interdum vero adeo maligna sunt, ut brevi cariem ossium nasi provocent, et cartilaginem nasi exedant. Hoc cum evenit nasus externe tumere consuevit, et tunc non raro inveniuntur ulcera fistulosa, quae parietes narium perforent.

Si haec ulcera fauces obsideant, antecedit semper angina catarrhalis cum tumore tonsillarum et uvulae, quae si initio negligatur aut non rite tractetur in exulcerationem abit, quae latius proserpit, donec demum magnam partem uvulae et tonsillarum nec non Veli palatini consumpserit. Hoc si accedat raucedinem sequi necesse est. Nonnunquam haec ulcera palatum tantum afficiunt, et cariem palati duri hoc modo provocant; incipiunt tunc saepissime a tuberculis parvis quae sensim suppurant, cum magna destructione partium adjacentium. Lingua etiam et labia his ulceribus interdum obnoxia sunt, quod nunquam tamen vidimus, videbant autem Arbo et Maugor.

Omnino monendum est, ulcera faucium et narium in Islandia rarissime occurrere, inveniuntur vero pluries in Norvegia et Svecia apud eos qui hoc morbo laborant.

Praeter haec ulcera tophi etiam interdum provenere, inprimis in tibia, ulna, et osse frontis, qui quamvis initio rite adhibita medela plerumque dissipentur, interdum tamen in cariem ossium abeunt, quod quidem Arbo nos vero nunquam observavimus.

Secundum Arbo, duae sunt partes corporis quae ab his ulceribus liberae esse solent, scilicet partes genitales

et pars capillata capitis; causam quare hoc ita sit omnino nescit auctor, sed contendit hoc tamen semper ita esse, nisi si cum Lepra squamosa, elephantiasi, vel morbo venereo complicata sit *Radesyge.*

Ulcera supradicta diu absque majore sanitatis labe consistere possunt; si vero per longum tempus duraverint et quasi habitualia fiant, sequitur cachexia quaedam specialis, quae absorbtioni materiae leprosae, forsitan ortum debet. Enunciatur haec cachexia emaciatione quadam corporis, quae stipatur maculis caeruleis aut lividis, praesertim in illis locis ubi prius ulcera inveniebantur. Accedunt quoque varii morbi cutanei, uti scabies [24]) pustulosa et psoriasis, quae aegrotum per multos annos vexare solent, donec demum aegrotum vel morbo exhaustum, vel per demigrationem mali ad partes internas interficiunt.

Morbus hic, de quo nunc agimus, parvo vel nullo dolore stipatur, nisi complicatus sit cum rheumatismo, arthritide, aut morbo venereo; febre etiam perraro comitatur, et diu absque majore sanitatis labe tolerari potest. Semper chronicus est et interdum per multos annos perdurans.

Complicationes. Cum multis morbis complicari potest Radesyge; saepissime tamen complicatur cum scorbuto, morbo venereo, Lepra squamosa, et nodosa, nec non psoriasi et scabie purulenta.

---

[24]) *Radesyge* cum scabie complicata aegrotum exhaurire et necare potest; hoc sine dubio factum est, ut credat praeclarissimus Schönlein scabiem in Islandia interdum lethalem esse, nam scabiem simplicem nunquam morte terminari videbamus. Vide *Schönlein's Pathologie und Therapie. Dritter Bd., S.* 9.

Diagnosis. Propter insignem eam similitudinem, quae habent ulcera leprosa cum ulceribus scorbuticis, facillime confundi possunt hi morbi. Si vero ad symptomata scorbuti respiciamus, haud difficilis erit horum morborum diagnosis, lassitudo enim, spirituum difficultas, gingivarum tumor, quae sanguinem dissolutum fundit, rigor genuum et depressio virium in *Radesyge* nunquam, nisi cum scorbuto complicetur, apparent. Alter est morbus in Chersonesi Cimbricae parte septentrionali admodum frequens, Syphiloides Jutlandica dicta (van Deurs), qui cum hac leprae specie magnam habet similitudinem. Differt vero ille morbus a *Radesyge* in eo, quod condylomatibus circa anum et pudenda plerumque concomitetur, ulcera vero quae in hoc morbo obveniunt, ulceribus leprosis adeo similia sunt, ut hoc malum ex complicatione cachexiae leprosae cum syphiloide natum esse facile credamus. Diagnosin *Radesyge* ab aliis leprae speciebus, ut lepra squamosa et nodosa, in horum morborum expositione ulterius pertractabimus.

Aetiologia. Causae hujus mali in victu et habitaculis gentium septentrionalium imprimis quaerendae sunt; ita diaeta animalium pravae indolis, salita, rancita, semiputrida, sine vegetabilibus ingesta multum facit ad hunc morbum excitandum. Fertur etiam illa diaeta, quae maxime constat e piscibus, uti halece, gadis, pleuronecto hippoglosso, siccatis, plane non, aut parum salitis, eundem effectum habere. Ad provocandum hoc malum multum etiam faciunt habitacula impura, humida, inopia vestimentorum contra frigus, munditiesneglecta et vita sedentaria. Contagium ad hunc morbum propagandum multum etiam facit (nam utique contagiosus est); communicatur hoc contagium sanis, si cum aegrotis dormiant aut vestimentis

eorum utantur, aut denique quacunque modo sanies ulcerum, sanos inficere potest. Sunt qui morbum haereditarium esse credant, quorum sententiae non tamen assentire possumus, nam nulla certa ejus rei exempla in patria vidimus.

Exitus morbi. Rite adhibita medela *Radesyge* initio saepissime exstingui potuit, plerumque tamen chronica fit et multos annos perdurare potest. In mortem nisi per complicationem cum aliis morbis rarissime abit. Cariem ossium interdum producit, et nonnunquam quamvis raro febre hectica terminatur.

Prognosis. Morbus recens curam omnino admittit, et congrua adhibita medicina cito plerumque cessat; si vero malum diu duraverit, et inveteratum sit curatu difficillimum est, et nunquam nisi longo temporis spatio tolli potest. Complicatio cum scorbuto aut morbo venereo curam reddit admodum difficilem; idem valet de complicatione scrophulosa et scabiosa.

Therapia. Cura hujus morbi perficitur medicamentis externis vel internis vel utrisque simul adhibitis. Si recens sit malum localibus medicamentis, cum Diaeta congruente interdum cedit. Deligentur tunc ulcera si in extremitatibus aut trunco sedem habeant cum unguentis aut decoctis parum irritantibus et antisecpticis. Duo sunt medicamina quae in hoc casu aliis praeferenda sunt, nimirum Unguentum nutritum Ph. D. et *Decoctum herbarum Achilleae* millefolii, cum quibus ut quotidie diligentur ulcera necesse est. Si ulcera in faucibus aut naribus internis obveniant illinantur ope penicilli cum acido muriatico oxygenato, sub hac formula.

Rec. Acid. muriatic. oxygenat. dr.β
Mellis.
Aqu. fervidae aa unc.β
D. S. Linctus ad ulcera faucium et nasi.

Rec. Essent. myrrh. dr.j
Mell. dr.iv
D. S. Linctus ad ulcera faucium.

Dr. Arbo qui hunc morbum saepissime tractaverat, adhibuit contra haec ulcera faucium sequentes compositiones.

Rec. Aqu. calc. driv.
Mel. rosar. aa unc.iij
Ungu. aegyptiac.
Tinct. Myrrh. aa unc.iv
Pul. Calomelan. gr.x
D. S. Tinctura ad ulcera faucium.

Rec. Mel. rosar. unc.iv
Tinct. Myrrh. dr.vj
Sal. ammon. dr.j
Nitri. depurat. dr.β
D. S. Pro Gargarismate.

Rec. Mel. rosar. unc.ij
Ungu. aegyptiac. unc.j
Tinct. Myrrh. dr.v
D. S. Unguentum ad ulcera faucium.

Rec. Mel. rosar.
Extract. cicut. aa unc.jβ
D. S. Linctus ad ulcera faucium.

Si morbus per aliquod tempus duraverit, internis etiam tractandus est medicamentis; adhibitis tunc primum laxantibus; cui scopo optime inservit radicis jalappae scrupulus unus cum mercurii dulcis granis quinque, ad mundificantia et antisceptica deveniendum est. Inter medicamenta interna decoctum radicis sarsaparillae cum china, optato cum fructu adhibui; etiam decoctum herbarum achilleae millefolii, et trifolii fibrini bono cum effectu adhiberi potest.

Arbo sequentes compositiones adhibuit.

Rec. Rasur. lign. sassafr. unc.jβ
Rad. sarsaparillae
— chin. aa unc.j
D. S. Pro decocto.

Rec. Rad. sarsaparill.
— chinae aa unc.j
Rasur. lign. sassafr.
Juniperi aa dr.vj
D. S. Pro decocto.

Morbus complicatus, pro varia ejus complicatione vario modo tractari debet. Complicatio scorbutica quae saepissime in Islandja invenitur, poscit medicamenta antiscorbutica prioribus juncta; huic scopo optime inserviunt, cochlearia officinalis et Grönlandica nec non nasturtium aquaticum et acida vegetabilia.

Altera in Islandia etiam frequentissima est complicatio scabiosa, quae si inveterata fuerit, curationi morbi primarii admodum obstat; poscit haec complicatio sulphurata, antimonialia et balnea tepida. Nuper in hac complicatione manganum hyperoxydatum ad grana quinque optimo cum fructu adhibui.

Syphilis si cum *Radesyge* complicetur, curam reddit perquam difficilem, et usum mercurialium nec non diaetam restrictam poscit. Mercurius sublimatus corrosivus hunc scopum optime quadrat.

Rec. Mercur. sublimat. corrosiv. gr. vj—viij
Sulphur. aurat. antimon. gr. xv
Opii pur. gr. iv
Succ. liquirit. dr.ij
M. f. l. a. pil. No. LX
D. S. Tres pillulae mane et vespere.

Sensim augere debet hanc dosin mercurii sublimati, donec aegrotus granum unum quotidie sumpserit. Praeter hanc medicinam in hac complicatione mundificantiis etiam locus est, imprimis radici chinae, sarsaparillae, ligno sassafras etc.

Diaeta aegrotorum hoc malo affectorum congrua maxime necessaria est; victus debet esse aliquantum parcus ex vegetabilibus magna parte constans. Caro aut pisces quibus fruitur aeger, semper recentes esse debent, nam omnis salitus, rancitus aut semiputridus cibus, his aegrotis nocivus est. In habitaculis et vestimentis munditie maxime opus est.

II.

LEPRA SQUAMOSA.

Synon.: Lepra mortificans, Lepra Graecorum Auctorum, Levee, vel Vitiligo alba Celsi, Baras Arabum, Levea vulgaris Alibert, Lepre phlegmatica, Lepra stricte sic dicta, Zaraah Hebraeorum, Limafalls-syki Islandorum.

Symptomata. Morbus plerumque sine prodromis incipit et nunciatur a vitiligine alba, quam leprosam vocare licet, vel a maculis et squamis semirubris, citrinis, lividis, nunc duris nunc mollioribus. Apparent hae sqamae et vitiligines semper primum in extremitatibus et imprimis ad anteriorem partem tibiae et exteriorem partem ulnae. Anaestesia cutis affectae statim plerumque adest, et initio pro signo pathognomistico haberi potest. Figura squamarum plerumque ovalis aut rotunda est; squamae sunt variae consistentiae, nunc tenues nunc crassae interdum pollicis magnitudines; copiosae sunt, decidae et mox redeuntes. Nonnullis locis epidermis sub forma furfurum secedit. Sub squamis cutis rubra, cruenta, fissa, erosa et cruda invenitur. Evolutionem hujus morbi, in genere sequitur lassitudo universalis, morositas, horrores, cum caloribus, aestu interno et sensu formicationis inter cutem et carnem. Febris initio raro adest nisi interdum tempore vespertino.

Protracto jam magis morbo, non solum superficies cutis sed illius contextus, cum carnibus subjacentibus, ad ossa usque afficitur. Corporis superficies inde fissa, dura, aspera et ulceribus obsessa fit; accedunt rhagades cum ulceribus serpentibus et carne luxuriante. Pili

decidunt (L. alopecia) ungues corrumpuntur, halitus foetet, mucus narium et lacrymae tantam acredinem adipiscuntur, ut genae erodantur. In maximo gradu morbi, praeviis ossium doloribus ac glandularum tumoribus, maculae lividae, atro-rubrae, fere omnes extremitates obsident; in ulcera rodentia transeuntes, quae ligamenta capsularia hinc inde destruendo, extremitatum lapsui ansam porrigunt. Decidunt tunc primum ultimae phalanges digitorum pedum aut manuum, tument extremitates affectae, cum tumore atro-rubro aut livido, cutisque undique squamis et supradictis maculis obducta est. In vola manuum et planta pedum cutis crassa et rhagadibus plena est, quae plerumque tamen parum dolent. Sanies quae squamis subest aut e rhagadibus aut e ulceribus profluit, est seroso-sanguinolenta, rarius purulenta, in crustas sat crassas aut squamas abjens. Interdum morbus hic tantos facit progressus (unde forsitan nomen morbi Lepra mortificans) ut plerique digiti manuum et pedum paulatim destruantur, quod Robinson in India nos vero in Islandia pluries observabamus. [25])

Monendum est hoc loco id, quod plerisque qui morbum nunquam ipsi observabant incredibile videbitur aegrotos nempe tot malis obrutos, ceterum quodammodo bona valetudine frui posse (Robinson) sed nihilominus tamen verum est. Sic ex. gr. aliquando juvenem quendam vidi, cum facici cute pulcerrima et splendidissima a quoquis morbo cutaneo omnino libera, qui Lepra extremitatum inferiorum adeo laborabat, ut fere omnes digitos

---

[25]) Haec Leprae species quae in Norvegia saepe occurrit, optime depicta invenitur apud Dr. Gaimardum vide ejusdem *Voyage en Scandinavie.* Medicine Pl. 1, 2, 3.

pedum amisisset. Appetitum habebat hic aegrotus sat bonum; et somno et excretionibus fere naturalibus, nil mali nisi rheumatismum intercurrentem quaerebatur.

Consentimus Robinsonio qui faciem et extremitates majores a destructione Leprae squamosae immunes esse putat, saltim ulcera narium et facici in hoc malo nisi cum elephantiasi complicatum fuerit nuquam videbamus. Odorem hircinum et raucedinem, in elephantiasi semper obvenientem, in simplici Lepra squamosa nunquam nobis observare contigit. Febrem tertianam quam hunc morbum comitare contendit Sprengel, in Islandia etiam non videbamus.

Datur et altera, quasi mitior species hujus morbi, quam lepram vulgarem nominat Bateman. Constitit in squamis varii coloris, quae sub forma ovali aut rotunda se offerunt. Circumdantur hae squamae halone rubro aliquantum elevato, et quamvis in medio concavae plerumque sint, per aggregationem tamen interdum formant crustas prominentes. Haec Leprae species (quae ceterum levis est) in Islandia persaepe occurrit; praesertimque in eis corporis partibus invenitur, ubi ossa sub cuti jacent; uti ad genua et ad cubitum.

Complicationes. Cum leprosi plerumque propter ulcera et tumorem pedum, vitam sedentariam degere et interdum propter paupertatem cibo incongruo, uti coacti sint, sequitur, ut complicatio scorbutica in Islandia frequentissima sit. Hac complicatione ducti credebant auctores nonnulli, lepram nihil aliud esse quam scorbutum ad summum usque gradum productum; quod tamen a vero longe alienum est, et omnino absurdum. Altera complicatio in Islandia etiam utique admodum frequens, est illa cum elephantiasi, qua factum est ut nonnulli medici

hos morbos iddem esse crederent; res tamen se non ita habet, uti Ainle, Winterbottom, Robinson et alii rite monuere.

Diagnosis. Lepra cum aliis morbis cutaneis non facile confundi potest. A psoriasi (cum qua aliquam habet similitudinem) distinguitur forma squamarum et macularum, quae in Lepra ovales aut rotundae sunt, in psoriasi vero irregulares. Praeterea nunquam produeit sporiasis tantas destructiones, uti digitorum etc. Lepra vulgaris cum sporiasi guttata et lichene facilius confundi potest, ab his tamen discrepat in eo, quod forma Leprae, ut antea diximus, semper rotunda aut ovalis est, et in medio plerumque quasi concava.

Aetiologia. Uti elephantiasis hic morbus quoque haereditarius est, ceterum tamen ad lepram excitandam, si dispositio haereditaria adsit, hae causae multum faciunt: cibus pravus, imprimis ex carne animalium aut piscibus, salitis, semiputridis, etc. Habitacula impura, parva, frigus, defectus vestimentorum, animi moeror, vita sedentaria, aqua impura et diathesis scorbutica eundem effectum provocare possunt.

Exitus Leprae. Initio rite adhibita medela saepe sanari potest aeger, plerumque tamen morbus chronicus fit, et molitur destructionem digitorum pedum aut manuum, post quod diu etiam durari potest, donec tandem aut per diarrhoeam aut hydropes aut alios invadentes morbos, aegrotum tot malis exhaustum interficiat.

Prognosis. Plerumque dum recens est, sanari potest Lepra squamosa; si vero per aliquod tempus duraverit, aut si alio gravi morbo uti elephantiasi aut morbo venereo complicetur, curatio mali admodum difficilis et non raro impossibilis fit. In junioribus facilius sanatur Lepra quam

in aetate provectis, aestate facilius quam hyeme. Digitis manuum et pedum destructis, diu interdum vivere possunt leprosi; donec post longum tempus (si non prius pereant alio morbo) miseriis finem tandem imponat Diarrhoea colliquativa aut Dysenteria. Lepra vulgaris Bateman omnino sanationem admittit.

Cura. Ad Lepram tollendam, medicaminibus, tam externis quam internis, diaeta congrua sustentatis, simul semper opus est. Inter medicamenta interna, primum locum tenent varia mundificantia, uti. radix sarsaparillae, radix chinae, stipedes dulcamarae (Crichton) rumex acutus, (Thorstenson) lignum sassafras, lignum guajaci, praesertimque ledum palustre, sequenti formula adhibitum.

Rec. Ledi palustris unc.ij
infundatur cum
Aquae fervidae unc.xvj
Cola.
D. S. Libra una quotidie sumenda.

Pix navalis optimum quoque remidium sistit in Lepra incipiente, adhibeatur in massa pilularum ad grana duodecim per diem. Terebinthina veneta a granis decem ad grana triginta etiam adhiberi potest. Pertinax morbus tinctura cantharidum a guttis sex ad guttas sedecim bis per diem, interdum levari videtur. E regno minerali duo etiam sunt remedia, quae, in inveterato morbo, maximam laudem meruere; arsenicum nempe, et mercurius sublimatus corrosivus, quae sequentibus formulis praesertim in usu sunt.

Rec. Solution. arsenical. Fowler dr.iv
D. S. detur a guttis quinque
ad guttas octo bis de die.

Rec. Extract. dulcamarae dr.ij
Sapon. antimonial.
Pulv. radic. rhei. ad dr.j
Merc. sublimat. corrosiv viij
opii pur. gr. vj
formentur lege artis pillulae pondere
granorum trium.
D. S. decem pillulae mane et vespere.

Kali causticum, quod etiam a nonnullis commendatur, solita dosi probari etiam meretur. Restat adhuc inter remedia interna unum, quod cum summo successu contra hunc morbum adhibitum esse dicitur, mempe asclepias gigantea; auctore Robinson hoc remedium in primo morbi stadio optimo cum fructu in India adhibetur; verum dolemus hoc remedium in officinis nostris adhuc non obtineri posse.

Inter medicamenta externa primum locum tenent balnea tepida ad gradus 28 Reaumieur, nunquam ubi fieri potest, omittenda; his balneis optime conjungitur hepar sulphuris, ad uncias duas pro quovis balneo. Balnea sulphurata naturalia, quae Islandiae, in pluribus locis, ut apud „Myvatn“ etc. haberi possunt, cum optimo effectu adhibentur. Praeterea adhiberi possunt lavationes locales cum aqua tepida, in qua kali sulphuratum solutum est; solutio Dr. *Duffini* ad hoc praecipue laudatur.

Rec. Magnes. sulphuric. dr.ij
Tartar. depurat. gr.x
kali sulphuric. dr.β
D. S. pro lavatione. (Solvitur in xxiv unc. aqu. tepidae.)

Diaeta conveniens et parum restricta semper servanda est, et constare debet e cibo recenti et digestu facili

maximeque e vegetabilibus. Omnis caro, quae salita aut semiputrida est, nociva habetur. Aere libero et munditie maxime opus est.

Complicationes uti complicatio scorbutica et scabiosa, quae freqnentissime in Islandia occurrunt, ad regulas generales tractandae sunt.

Redeamus nunc ad gravissimam speciem Leprae septentrionalis, nempe elephantiasin, qui morbus quamvis a Callisonio nostro pro rarissimo in Europa habeatur, tamen opione nostra, omnibus hic jam descriptis morbis in Islandia frequentior est, ibique ad hunc usque diem percaepe occurrit, et multas miserias producit. Inter omnes fere auctores qui de elephantiasi scripsere, nostra quidem opinione, Aretaei cappadocis descriptio multis aliis antecellit, quare ante quam descriptionem gravissimi mali aggrediar, verba clarissimi auctoris non praeterire possum; dicit vero hic auctor: „Etenim segues sunt tanquam „levi aliqua causa somnolenti, quieti, alvo sicci; haec „sunt etiam sanis hominibus non ita multum inusitata. „At faedos odores exspirant ob interni spiritus exha- „lationem; huic rei aerem aut extrinsecus quid causam „praebere existimant. Urina alba, crassa et qualis ju- „menti turbita. Cibi crudi et inconcocti in corpus di- „geruntur; nec haec quidem percipiunt curantue; necue „an concoxerint, nec ne, satis sciunt; in his cruditates „et concoctio perinde est, si quidem quod ipsis in bonum „atque commodum vertat, haud frequenter concoquunt; „cibus vero facile distribuitur, quippe quem haud secus „ac in ipsorum alimentum morbus cum rapasitate attra- „hat; unde venter inferior siccus his efficitur. Tumores „alii prope alios assurgunt, nondum continui, sed crassi

„ atque asperi; et tumorum intervalla fissuris dividuntur,
„ sicut elephanti corium. Venae latae non ob sanguinis
„ abundantiam, sed propter cutis crassitudinem. Neque
„ multo post malum incedisse declaratur, ex aequali totius
„ corporis intumescentia. Crines in omni parte praemo-
„ riuntur, manibus, femoribus tibiisque; itemque rari
„ sicut in pube mento atque capite; quod que mirabilius
„ est, praematura canities et calvities repente ingruunt;
„ et intra tempus exiguum pubes cum mento glabra est;
„ aut si pauci remaneant capilli, adspectu turpiores sunt
„ quam si defluxissent. Cutis in capite alte dehiscit ri-
„ maeque squalidae sunt, frequentes profundae asperae.
„ Tumores in facie duri, acuti, in vertice nonnunquam
„ albidi, juxta basin viridiores. Pulsus exiguus, gravis,
„ segnis, tanquam aegre se movens. Venae in temporibus
„ et sub lingua elatae; alvus biliosa. Lingua varis gran-
„ dinosis aspera, neque incredibile est totum corpus hujus
„ modi tuberculis scatere; si quidem in victimis humores
„ vitiatos habentibus, caro quasi grandine repleta est.
„ Sin ex intimis partibus morbus plurimum erumpat in
„ extremisque appareat, summos digitos occupat impetigo,
„ genua pruriunt, et eos homo cum voluptate scalpit;
„ mentum nonnunquam impetigo circulo complectitur; et
„ cum tumore non ita grandi malae rubent. Oculi cali-
„ gant et coloris sunt aenei; supercilia crassa glabra,
„ deorsum gravata, prominent et contractis horum inter-
„ vallis intûmescunt; color eorum lividus aut niger; ipsa
„ vehementer adducuntur oculosque conteguut ut in iratis
„ fit aut leonibus, itaque morbus leoninus dicitur; quam
„ ob rem aeger non elephanti tantum aut leoni est, sed
„ etiam nocti oculi tetrae similes. Nasus tumoribus
„ atris asperisque occupatur; labia crassa et prominentia

„ quorum inferius livet; nares praelongae, dentes non „ candidi verum subatro colore infecti videntur; aures „ cum nigritie quadam rubent atque auribus *elephantorum* „ similes sunt et solito grandiores apparent; ulcera in „ aurium basi sanie fluentia pruritibus vexata. Totum „ corpus rugis asperis exaratur; et fissurae tanquam nigri „ sulci in cutem alte descendunt; ideoque *elephas* morbi „ nomen est; plantae calcesque usque ad medios digitos „ hiant. Quodsi malum vehementius adhuc increscat, „ tumores exulcerantur; et in malis mento digitis genu- „ busque foetida et insanabilia oriuntur ulcera quorum „ alia super alia insurgunt, in aliisque alia subsidunt. „ Interdum ante hominem membra sua emoriuntur atque „ excidunt, nasus, digiti, pedes pudenda manusque inte- „ grae; neque enim pestis ista aegrotum turpi vita dolo- „ ribusque vehementissimis ante liberat quam hominem „ membratim discerpserit; sed instar elephantis longaeva „ est. Quodsi membrorum repentinus fuerit dolor multo „ acerbius affligit modo has modo illas partes vago more „ invadens; cibi cupiditate non vacant sed nullum habent „ gustum, neque in edendo aut bibendo voluptatem ullam „ capiunt; omnia aversantur et odiunt; corpus non alitur; „ veneris libido rapiosa est. Adsunt lassitudines spon- „ taneae; membra singula quasi pondere quodam premi „ videntur, hominemque vel minimi artus gravant. Porro „ corpus re quaque offenditur; non balneis delectatur non „ cibo non inedia, non quiete, non motu; etenim omni „ parte morbus insedit. Somnus tenuis propter somnio- „ rum visa, vigiliis molestior; ingens spirandi difficultas; „ suffocatio, quasi laqueo strangularentur; atque hoc „ modo quidam e vita excessere, ad mortem usque per- „ petuo oppressi somno.“

III.

ELEPHANTIASIS.

Synon.: Leontiasis, Morbus herculeus, Satyriasmus, Cancer universus, Cancer totius corporis, Elephantia Arabum, Elephantiasis indica (Sauw), Elephantiasis arabica (Good), Lepra elephantiatica sive arabica auctorum, Lepra nodosa (Sprengel), Elephantiasis tuberculeux (Alibert), *Spedalskhed* (Norvagorum et Danorum), Holdsveike et Likthra (Islandorum), Black leprosy (Anglorum).

Symptomata. Annuntiari interdum solet elephantiasis animi corporisque insolita segnitie, morositate, voracitate, et gravativo sensu omnium membrorum accedunt quoque insomnia tristissima, terrifica ephialtes lascivia insueta et major viribus cupiditas coeundi. Oculi splenditi sunt, et tunica conjunctiva admodum rubra, turbata aut livida, figura oculi interdum rotunda, leonina; vox rauca vel rarius acuta et subtilis cum anhelitu foetente; hi prodromi minime tamen constantes sunt, et interdum plane absunt. Morbus ipse incipit fere semper a tuberculis sub cute, initio parvis, duris, lividis, aut cuti concoloribus, et in facie semper primum apparentibus. Cum tubercula haec per aliquod tempus duraverint, et numero augeantur sequitur vox rauca, cum speciali odore hircino dicto; crescentibus his tuberculis cutis in rugas contrahi solet, unde facies aegroti admodum permutatur et quasi leonina fit, unde morbi nomen leontiasis. Apparent tunc quoque maculae lividae aut atro-rubrae in brachiis et pedibus cum emaciatione quadam extremitatum et anaestesia cutis. Vexantur aegroti gravitate

quadam corporis, cum rheumatismo artuum intercurrente; accedit melancholia cum tristitia animi, et mores fere semper in peius mutantur; libido admodum augetur cum insatiabili cupiditate coeundi. Febris raro, etsi diu duraverit morbus, adest. Cum tubercula per brevius aut longius tempus creverint, in ulcera abeunt, impura lardacea serpentia cum marginibus inversis duris quasi callosis. Pus quod ex his ulceribus profluit, est crassum; corrodens hircini odoris, et nonnunquam sanguinolentum; jam quoque maculae quae in extremitatibus sunt, exulcerantur et saniem fundunt, serosam vel seroso-sanguinolentam; simillima sunt haec ulcera, ulceribus scorbuticis, et iis quae in *Radesyge* occurrunt, corrodent partes adjacentes et non raro in cariem ossium subjacentium abeunt. Crines tam in capite quam in ceteris corporis partibus albescunt et defluunt, finduntur incurvantur et corrupti labuntur ungues. Ciborum digestio prava, ac flatuum incommoda vel fames in quibusdam canina, augentur; vix faeces alvus, ac jumentosam continuo vesica urinam expellunt. Progrediente jam morbo ulcera faciei, sensim sensimque latius serpunt, faciem totam, frontem genas, labia et aures occupantes; ulceribus cancrosis omnino similia sunt; corrodunt partes adjacentes et cariem producunt, ossium faciei, quo fit ut nares intermedia cartilagine erosa collabantur. Tubercula quae in extremitatibus nunc etiam quamvis rariora obveniunt, unacum maculis antedictis exulcerantur et corrodunt omnes vicinas partes, ut etiam in hoc malo digiti aut phalanges digitorum, articulationibus destructis decidant. In maximo gradu mali corneas etiam excrescentias in fronte nobis observare contigit, quae (mirabile dictu) ad longitudinem pollicis creverunt. Ad extrema ventum est, cum magnam

faciei partem, nec non aliquam partem extremitatum, foedidissima haec ulcera occupaverint; accedere tunc solet febris hectica cum diarrhoea colliquativa, sudoribus male olentibus, noctibus insomnibus, pulsu parvo frequentissimo, quibus miseriis finem tandem impon . ptata mors.

Datur species quaedam hujus mali quae auctoribus elephantiasis partialis sive lepra nodosa dicitur; et quae in Aegypto, India, nec non Asturiis domicilium habet.[26]) Pedes imprimis afficit cum inflatione rubore, dolore, et striis rubris, latis tensis, vasorum lymphaticorum decursum indicantibus accedunt tumores glandularum inguinalium et febris, quae interdum et incerto tempore revertitur. Cutis pedis affecti (nam plerumque unus aut alter pes tantum afficitur) indurescit; cutis in rugas contrahitur et squamulas crassas format, quo fit ut pedes tanquam in elephante fiant. Profluit sub pelle crassiore squamosa, humor tenax, glutinosus, qui in substantiam lardaceam concrescit; accedunt ulcera impura fungosa quae post longum tempus partem affectam a vicinis separant.

Hanc elephantiasis speciem nunquam in Islandia videbamus.

Est et affectio quaedam scroti, quae cutim afficit elephantiasi locali simillima; quare a nonnullis elephantiasis scrotalis dicitur, hanc speciem nuper in Germania nunquam vero in Islandia observavimus.

---

[26]) Haec leprae species optime depicta invenitur in opere prius citato Alberti, Pl. 42, et in Opere ante citato Gaimardi Medicin. Pl. 4.

Complicationes. Elephantiasis cum Lepra sic dicta squamosa frequentissime complicatur, quare nonnulli auctores varias Leprae formas, rc ipsa unum eundemque morbum constituere (J. Frank etc.) credebant. Rem tamen se non ita habere cum clarissimo Willauo et Batemanno sentimus, quare recte monuit Frank cum dixerit. „ Lepra partialis sive squamosa, sive elephantia, interdum „ in malum universale transit, nullum autem habetur „ certum testimonium Lepram squamosam in Lepram ele- „ phantiasin transiisse." Altera complicatio in Islandia et Norvegia admodum frequens, est complicatio scorbutica, qua factum est, ut nonnulli medici elephantiasin summum hujus morbi gradum esse crederent; [27]) quod tamen absurdum est, et a vero alienissimum. Scabies praeterea et *Radesyge* cum elephantiasi non raro complicantur, praesertim apud pauperes et piscatores.

Aetiologia. Dispositionem haereditariam, unicam praedisponentem hujus mali causam esse pro certo habemus. Hoc tamen ut doceret clarissimus Frank nom impedit quominus leprosi sanam interdum generent prolem. Pluribus etiam observationibus constat, infantes et mulieres rarius quam viros ab elephantiasi affici, et nunquam aut mitissime ea laborari dicuntur eunuchi.

Excitari in praedispositis nobis visa est elephantiasis ab esu piscium corruptorum et a carne semiputrida, nec non usu aquarum corruptarum, liquorumque spirituosorum, imprimisque spiritus vini, porro a venere nimia, a frigore et ab immunditie. Persuasum habemus morbum non contagiosum esse, saltim nostris temporibus

[27]) Povlsen, l. c. pag. 324 et 449.

nullum hujus rhei in Islandia invenire possumus exemplum; nam quamvis plures nuptos qui hoc malo permultos annos laborabant, cum uxoribus suis vixisse cognovimus, nullum tamen nobis occurrit exemplum, ut maritus uxori suae, aut vice versa, elephantiasin communicaverit.

Quod ad naturam hujus mali pertinet, iis consentimus, qui elephantiasin pro cancro universo cutis habebant, nam omisso quantam simiItiudinem habet diathesis elephantiatica, cum diathesi cancrosa; ulcera elephantiatica cum ulceribus cancrosis tantam habent similitudinem, ut difficillime ab his distingui possint.

Diagnosis. Elephantiasis cum aliis morbis cutaneis haud facile confundi potest. Dantur quidem tubercula faciei qui initio cum nodis illis elephantiaticis confundi possint; sed cum accedat raucedo, cum odore speciali hircino, et cutis faciei in rugas contrahatur faciesque leonina fit, et maculae lividae in extremitatibus apparent, tunc certum est morbum gravissimum (s. elephantiasin) subesse.

Prognosis. Malum horrendissimum et gravissimum, rarissime si unquam sanationem admittit; legimus quidem exempla ubi elephantiasis incipiens sanata fuisse fertur, sed ipsi ne unicum quidem adhuc videbamus. Morbus semper chronicus est, et rite adhibita medela, adeo interdum levari potest, ut vita quamvis misera plerumque, per plures annos protrahatur; sed nihilo minus tamen certo pede prodit malum, donec demum serius vel ocyus praedam suam consumat.

Cura. Variis remidiis tentata est cura hujus mali sed plerumque ut videtur cum parvo successu. Medici Graeciae curam elephantiasis a venaesectionibus incipiebant; quare *Aretaeus* venam in utroque brachio secari

jussit, et postero die in pedibus; quas venaesectiones ideo iterari voluit, quia novum sanguinem qui nutrimento bono iterum augeretur, morbum levare posse putavit. Drastica etiam adhiberi suadebat, et lac magna quantitate dari jussit. In initio morbi sanguinem per biduum mitti deberi, docuit clarissimus *celsus;* aut nigro veratro ventrem solvi. Hoc iddem docuerunt fere omnes veteres medici. Nostris temporibus venaesectiones et medicamenta laxantia, rarius quam antea in hoc malo in usum trahuntur; sed in eorum locum adhiberi solent sequentia medicamenta. Antimonium, aurum, sulphur, arsenicum, acidum nitricum, ledum palustre, solanum dulcamara, conium maculatum, rumex acutus, guajacum officinale, cortex ulmi, cinchona officinalis, plantago latifolia (quam etiam suadebat *celsus*) cochlearia officinalis et grönlandica, cantharides, lacerta agilis, lac, balnea, et diaeta restricta.

Quamvis nonnulla horum remidiorum cum aliquali levamine interdum adhibentur, nunquam tamen eorum usu elephantiasin sanatam videbamus. Limatura auri qua nonnulli ad avertendum hoc malum in Islandia usi sunt, aliqualem effectum interdum habuisse nobis notum est. Hoc iddem dicere possumus de *rumice acuto,* quam Thorstensonius physicus Islandiae commendavit. P. Sveinsonius, chirurgus in australi parte hujus insulae *conium maculatum* [28]) commendat, et contendit hoc remidium contra elephantiasin bonum effectum habere.

In nosocomio Fredericiano havniensi; curam lacteam, cantharides (s. Tincturam cantharidum) et arsenicum cum

---

[28]) Vide Johns Petursonar Laekningabok Kaupmannahöfu 1834, pag. 176.

aliquali levamine morbi adhiberi videbamus; nunquam autem morbum his remidiis curari observavimus.

Dantur quidcm remidia, quae quamvis nondum in elephantiasi adhibita sint, tamen forsitan cum aliquali successu adhiberi possint, *jodium* et *kali hydrojodicum* puto. Patet enim ex effectu horum remidiorum, ea contra omnes hypertrophias et tumores glandulosos, efficacia esse. Ad nos igitur quod spectat, hoc remidium unacum cura lactea, et balneis sulphuratis, quam primnm data occasione tentaturi sumus.

Nuper a collega quodam audivimus, medicum quendam gallicum, venaesectionibus et balneis frigidis ad elephantiasin curandam, cum optato effectu usum esse; quae cura cum ut antea diximus a medicis Graeciae adhibita fuit, attentionem merere videtur.

THESES.

I. Male docuere qui elephantiasin summum scorbuti gradum esse dixerunt.

II. Scorbutus rite adhibita medela initio facile sanatur, elephantiasis rarissime et difficillime.

III. Suicidium nisi a mente captis raro committitur, et igitur recte plerumque ad vesanias pertinet.

IV. Opium contra delirium tremens inter praestantissima remidia habendum est.

V. Quoniam animi passiones systema gangliosum magnopere afficiant, non omnino errant, qui vesanias gangliopathicas accipiant.

VI. Chirurgo animo intrepido opus est.

